rexit, ubi XI. Kal. Novembris Synodum perquam celebrem habuit. *Inde*, hoc eſt e Guaſtalla:

Pius Papa diſcedens ad memoratam
Advenit Parmam, faciens ibi quaecumque rogarant:
Nam ſacravit ibi Templum Chriſti Genitricis.

Haec Donizo loco ſupra laudato, qui Parmenſis quidem Templi dedicationem recenſuit; quae vero Mutinae geſta fuerant coram Comitiſſa Mathilde, prorſus neglexit. Atque hinc intelligas: emendatione aliqua indigere, quae Clariſs. Mabillonius ſcripſit in Annal. Benedictin. ad Annum 1106. num. 1. *Paſchalis Pontifex* (ita ille) *eo in itinere Parmae Bernardum Cardinalem in demortui Epiſcopi locum inſtituit. Mutinam inde profectus, Sancti Geminiani Epiſcopi ſolemni Translationi interfuit.* Prius Mutinam, quam Parmam Paſchalis adivit; neque Translationi interfuit, ſed quidem Dedicationi Arae Sancti Geminiani. Ignoſcendum illi tamen, quod Sigonium ſequutus fuerit, qui ne ipſe quidem haec ſatis accurate commemoravit.

Narrationi Translationis hujus ſubdidi pauca quaedam Additamenta ad Mathildis Comitiſſae Vitam ſpectantia. Legebantur & ipſa in utroque Codice Eſtenſi; neque contemnenda videntur, quamquam ego praeſtare nolim, certo fundamento niti quae Auctor ille, (quiſquis fuerit, a praecedente tamen diverſus) refert de loco, ubi poſtremum diem clauſit Comitiſſa Mathildis. *In Comitatu Mutinenſi in loco, qui vocatur Bondenum de Diacono* dicitur illa extremo fato ſublata. Donizo *Bondenum* tantummodo appellat. Atqui is locus *Bondenum de Ronchore* appellatur in tabulis, quas adfert Bacchinius in Hiſt. Monaſterii Padoliron. pag. 104. Append. Ceterum ex Hiſtoria Translationis Sancti Geminiani educi poſſe videtur, Mathildem titulo Comitiſſae Mutinenſibus praefuiſſe. Saltem in hac Urbe ingens ejus auctoritas inde elucet.

TRANSLA-